



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia**

Ab anno DCCCCX. ad annum MLXXIII.

**Parisiis, 1644**

Concilivm Apvd Trosleivm, In Qvo Erlebaldvs Comes Excommvnicatvs post  
mortem est absolutus anno DCCCCXXI.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-15625**

IOANNES C. APVD TROSLEIVM. HENRICVS I. IMPERATOR.  
P. X. CAROLVS SIMPLEX R. FR. 19

ANNO  
CHRISTI  
911.

## CONCILIVM APVD TROSLEIVM,

IN QVO ERLEBALDV COMES EXCOMMVNICATVS  
post mortem est absolutus anno DCCCCXXI.

**D**E hac Synodo , causisque , ob quas Erlebaldo inflicta fuerat excommunicatio , scribit in hæc verba Flodoardus libro IV. historiæ cap. xvi. Excommunicauerat , inquit , Heriueus præsul Erlebaldum comitem Castricensis pagi , propter Rhemensis episcopii terram quam peruerserat , ibique munitionem quamdam super Mosam construxerat , indeque frequentia ecclesiasticae familiæ mala ingerebat. Insuper & castrum Altmontem furtim irruperat. Sed cum nec ita cessaret a malis quæ cœperat , pergit archiepiscopus cum suis ad capiendam munitionem quam ille construxerat , Maceriasque nominabat : quam per quatuor pene hebdomadas obsidens , deserente tandem Erlebaldo , cepit , & dispositis inibi custodiis Rhemis reddidit. At Erlebaldus profectus ad regem , qui tunc morabatur in pago Vvarmacensi contra Henricum principem Transrhenensem , ibidem ab hostibus regis sibi superuenientibus interemptus est. Quem tamen postmodum in Synodo , quam apud Trosleium idem dominus archiepiscopus cum dioecesaneis suis habuit , intercedente rege , & obnixe flagitante , a vinculo excommunicationis absoluit. Flodoardus idem in chronicō : Anno , inquit , DCCCCXXI. Synodus apud Trosleium habita , cui præsedit Heriueus archiepiscopus , præsente quoque Carolo rege , cuius obtentu Erlebaldus ibi Castricensis absoluitur. Hæc ibi anno , cetera exposuerat anno præcedenti.